

gaudium. Et: Beatus vir, qui tolerat tentationem, quoniam cum probatus erit, accipiet coronam vitæ, quam promisit Dominus iis, à quibus diligitur: quando videlicet audiemus letissimam vocem nostri Iosephi: Ego mortuus eram: & ecce vivo in secula seculorum: Venite benedicti: Tunc videbimus eum, sicuti est: Videbimus gloriam eius, ut gloriam unigeniti à patre: Erimus cum ipso perpetuo: Assumet nos ad se: Et absterget omnem lacrymam ab oculis nostris.

In primis præclara & memorabilis doctrina hic traditur à Iosepho: In hominum peccatis quando pios ledunt vel opprimunt, non cessare aut otiosam esse Dei providentiam, sed in his etiam nutu quidem occulto, sed presentissimo & iustissimo agi, fruari, & dirigi impiorum voluntates & actiones, ut, dum ipsi pravis suis affectibus liberrime indulgent, & gravissime peccant, Deus interim & ipsis & ipsorum peccatis tanquam organis ad gloriam suam illustrandam, & Ecclesie atque piorum salutem promovendam sanctissime utatur.

Denique in hac manifestatione Iosephi elucet illustra plurimarum virtutum exempla, prudentia, φιλοσφρζίας ignoscentia & placibilitatis, fidei, modestia, clementia, denique gratitudinis liberorum erga parentes, quæ sedulo intuentes imitari studeamus.

Partes constituo tres.

1. Est manifestatio & oratio Iosephi ad fratres, vsque ad vers. 16.
 2. Aula regie congratulatio, vsque ad v. 21.
 3. Fratrum dimissio, & euangelium patri allatum, vsque ad finem.
- In prima rursus erit, 1. Modus manifestationis Iosephi, versib. 4.
2. Consolatio fratrum attonitorum, à Dei providentia, v. 5. 6. 7. 8.
 3. Mandata patri perferenda de descensu in Aegyptum, vers. 5. seqq.
 4. Lacryme & oscula fratrum, v. 14. 15.
- In secunda, 1. Regis & aula totius congratulatio, v. 16.
2. Clementia & liberalitas Regis in familiam Iosephi, v. 17. 18. 19. 20.
- In tertia, 1. Executio mandati regij de curribus, v. 21.
2. Munificentia Iosephi in fratres, v. 22. 23.
 3. Dimissio fratrum, v. 24.
 4. Nuntium latum patri allatum de Iosepho principe Aegypti, v. 25. 26. 27.
 5. Iacobi affectio & gratulatio de eo, v. 26. 27. 28.

PRIMA PARS CAPITIS.

Manifestatio Iosephi.

- 1 Tunc non poterat Ioseph ultra se continere coram omnibus sibi astantibus: & clamavit: Educite omnem virum à me: & non remansit quisquam cum eo, dum se agnoscendum præbuit Ioseph fratribus suis.
- 2 Deditq; vocem suam cum fletu, & audiebant Aegyptij: audiuit etiam domus Pharaeo.
- 3 Et dixit Ioseph ad fratres suos: Ego sum Ioseph: Num adhuc vivit pater meus? Et non poterant fratres eius ei respondere: quoniam territi erant à facie eius.
- 4 Et dixit Ioseph ad fratres suos: Accedite quæso ad me: & accesserunt. Et dixit: Ego sum frater vester, quem vendidistis in Aegyptum.
- 5 Nunc igitur ne dolore afficiamini: neque sit ira in oculis vestris, quod vendideritis me hoc: quia propter vitam vestram misit me Deus ante vos.
- 6 Iam enim duo anni fuerunt famis in medio terra: & adhuc quinque anni supersunt, quibus non erit aratio & messis.

7 Misitq;